

V k
2093



H

F

S

X. 192



V I R O
PRAENOBILISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
CHRISTIANO LVDOVICO
R E V T

REGIS POLON. ET ELECT. SAXON.
REDITVVM ACCISORVM IN VRBE
BVDISSINA

HVC DVM
INSPECTORI VIGILANTISSIMO

SVMMAEQVE IN LVS. SVPER. CVRIAE ADV. ORD.
NVNC DE SVMMI PRINCIPIIS VOLVNTATE

CVM
FISCI REGIO ELECT. PROCVRATOR
PER MARCHIONATVM LVSATIAE SVPERIORIS
CONSTITVTVS SIT

NOVVVMQVE HOC MVNVS
d. XIX. NOV. AN. clb l3 cc LV.

ADEAT
NOVVVM HONOREM EX ANIMO GRATVLATVR

SERIEM CAMERAE PROCVRATORVM

VSQVE AD NOSTRA TEMPORA PERCENSENS

M. Caspar Abraham Weise
Gymn. Bud. Subr.

BVDISSAE, TYPIS CHRISTIANI SCHOETZII.



CHRISTIANO FREDERICO

R E V T

REGIS POLON ET ELECT SAXON

LIBRARIUM ACCURATUM IN VESSE

BADISSIA

HAB DVM

INSPECTORI VIGILANTISSIMO

LIBRARIUM ACCURATUM IN VESSE

ADUS DE OFFICIO CENSURAE

CHRISTIANO FREDERICO

LIBRARIUM ACCURATUM IN VESSE


LIBRARIUM ACCURATUM IN VESSE

ADUS DE OFFICIO CENSURAE

LIBRARIUM ACCURATUM IN VESSE

Blank lines for text or signatures





V I R
PRAENOBILISSIME EXCELLENTISSIME
Fautor ac Domine multis nominibus colende,



um grauisissimi in Superiore Lusatia nostra muneris, fisci
nempe Regio-Electoralis, cuius usque huc spem ha-
bueras, nunc plenam, summa PATRIS PATRIAE gra-
tia, adeptus sis spartam: dici non potest, quanto cum
iis, qui TVI sunt studiosi, gaudio propterea perfundar.
Vix est, quare causas istius hic afferam, quarum tamen nonnullas produ-
cere

cere satis commode possem. Sufficit, TIBI ex uxore prima, Pellachia, necessitate innexum, cognatione coniuncti et amicitiam et officia sic apposite praestare posset.

Dispicienti autem mihi, quid inprimis, ne nuda uerba afferam, huic plagulae mandarem, quod TIBI legenti uolupte, aliis etiam commodo esset: opportune in mentem incidebat, me ex historia patria aliquid decerpere posse. Sic mecum reputabam: cum alii ex canis retro seculis nunc graecas nunc latinas antiquitates ruminati, non omnibus probentur, quod decies dicta, recoquant, nec descriptione sua genio seculi se accommodent, nec id proferant, quod praesenti tempori sit aptum: me a ciuibus meis gratiam initurum, ac operae pretium facturum putauit, si uiris, de patria deque re publica optime meritis, monumentum aliquod statuam. Quorum quia illi, qui fisco primum regio, post electorali, nunc regio-electorali, ab initio huius muneris praefuerunt, non sunt ultimi: in eis percensendis uel propterea, quod noua officii mutatio memoriam eorum refricet, occupabor.

Equidem non nescio, b. Grosferum, qui primas rerum Lusaticarum lines duxit, eorum iam numerum iniisse: quia uero in enumerandis fisci procuratoribus, pro instituti ratione, de iis summatim tantum agit: multa omnino intacta reliquit, quae quantum per monumentorum subsidia licebit, hic supplenda curabo.

A re ipsa ut incipiam, muneris huius rationes eo potissimum redeunt, ut ab ei praefecto iura summi principis salua et intemerata conseruentur. Cui ut inuigilare studio eum decet omni: sic prouideat oportet, ne commoda fisci detrimantur, siue palam illud fiat, siue occulte accidat, capiant. Denique ut principis summi mandatis ex omnibus partibus fiat satis, obnixae ei est nitendum. Magnus itaque rerum cardo cum in eo uersetur: non sine sontica causa a regibus Bohemiae, suo et marchionatus Lusatae utriusque bono, quod ipsi ob curam imperii, qua distringebantur, a terris his longe aberant, fuit institutum. Si recte computo, quicquid istius est muneris, supra centum et saxaginta annos nondum ascendit, quippe natales suos imperatori RUDOLPHO II. Bohemiae regi ac Lusatae utriusque marchioni debet, qui d. xx. Augusto an. M. D. xcv. illius

fun-

fundamenta posuit ac Hieronymum Treutlerum die xxviii. Oct.
primum constituit, qui hanc spartam ornaret.

Cumque ab isto temporum spatio, ordine non interrupto, primum
sub Bohemiae regibus, tum sub potentissimis Saxonibus nostris, ea sic
processerit, ut usque ad nostrum hoc tempus pertingat: iam de singulis
uidebimus, quae ex literarum monumentis, maximam partem manuscrip-
tis, eruere licuit. Scenam itaque aperit,

I.) D. HIERONYMVS TREUTLERVS a Kroschwitz, consilia-
rius caes. Natus is fuit an. M.D.LXV. d. xiv. Febr. Svidnicii in Sile-
siis, patre, loci sartore.* Studia altiora cum in academia Marpurgensi
secutus, ibique an. M.D.xc. insignibus Doctoris ornatus esset: non ita
multo post provincia oratoriae docendae ad eum delata est. Iuris pruden-
tiae uero laude inlarescebat, quare M.D. xciv. d. xxii. Febr. rei publi-
cae Budisfinensis patres ad syndici munus obeundum eum acciebant. Ad
hoc M.D.xcv. d. vii. Oct. patroni fisci caesarei dignitas accessit per Lu-
satiā superiorem ** duobusque muneribus simul *** praefuit cum au-
thoritate. Cum huius muneris sui partes ea in principem suum fide ob-
seruaret, ut nihil prius haberet ac nihil antiquius: tantam quoque impera-
toris sibi peperit gratiam, ut honore equestri ab eo officeretur. Iuxta uero
etiam scriptis inclauit, quae famam ita adhuc obtinent, ut tempore suo

A 3

nomen

* uid. Cunradi Sil. Togata. p. 313.

** Equidem legitur in Consiliorum ipsius inscriptione, quod fuerit patronus
fisci per utramque Lusatiam, tabulae tamen primae uocationis eius ad so-
lam superiorem Lusatiam pertinent. Fortassis postea temporis utriusque Lu-
satae praefectus fuit, quia successor eius D. Fornitius ab imperatore Mathia
d. xxviii. Iul. M.D. cxii. et a rege Friderico xxx. Iul. M.D. cxx. utri-
que Lusatiae datus fuit fisci patronus, ut tabulae, in curia fisci asseruatae,
testantur.

*** Commode illud fieri potuit, quia in provincia syndici adiunctos sibi ha-
buit D. Andream Schoeps, et cum ille muneri renunciaret M.D. cv. Mi-
chaelem Kellnerum: in sparta uero fisci patroni Hieronymum Arnoldum,
et M. Alardum Schoenfeld, causarum fiscalium aduocatos.

nomen auctori dederunt.**** Vitae finem fecit an. M.DCvii. die ix. Dec. annos natus xlii. mens ix. Corpus in templo Petri terrae illa- tum fuit.*****

Mortuo Treutlero successit

II.) D. IACOBVS BORNITIUS. Natu is fuit Torgauensis, et studia in scholis et academiis emensus, an. M.Dxcviii. iura Doctoris capessuit Wittenbergae, ac iter eruditum per Belgas, Anglos, Gallos Ita- losque instituit. Redux, iussu Friderici Wilhelmi, Saxoniae administrato- ris, principum electoralium doctrinae morumque praefectus, cum encomio consilarii, constituebatur. Anno M.Dciv. et Procopii Nasonis, syndici Zitt. priuignam Sabinam, D. Iac. Lebzelteri, medici uiduae, sibi iunxit, et die ix. Apr. eiusdem anni syndici Zittau. munus accepit. Sparta ta- men hac, taedio ductus, nescio quo, d. xviii. Apr. M.Dcvi. Suidni- cium in Silesiis petiit.* Inde tamen rediit in Lusatas, ac, consiliarius im- peratoris factus, anno M.Dcviii. fisci regii curam suscepit.** Anno M.Dcxxi. cum Lusati Saxoniae electori Io. Georgio I. nomine impera- toris,

**** Memini enim me legere, sub praesidio D. Hahnii, in academia Iulia, di- sputationes ad aliquem librorum eius fuisse institutas.

***** uid. M. Wagneri Epithaphia Budiss. lat. p. 14. seq. Imaginem exhi- bet Frerherus in Theatro erudit. p. 962. qui tamen in uita eius, p. 971. seq. Budissinam in Silesia collocat, et, illum non diu ibi substituisse perperam tradit.

* uide haec recensita in D. Carpzouii Anal. Fast. Zitt. p. II. p. 298.

** Sequor hic fidem chron. mseti unius, in quo haec uerba lego, ad an. M.Dcviii. Nach Ableibung Hr. D. Treutlers, ist das Fiscal-Am- t, bey währrender Unruhe in Böhmen, fast drey Viertel Jahr ledig ver- blieben, folgendes mit D. Iac. Bornitio besetzt worden. Cum uero Gros- serus, et alii cum eo, diem xxviii. Iul. M.Dcxii. ponant, quo mu- nus hoc adiecit Bornitius: hic annus fortassis de plenaria confirmatione uel introductione accipiendus est, cum turbae Bohemicae usque ad illum annum durauerint. Nisi forte malimus, hoc munus plane uacuum man- sisse, cui tamen opinioni calculum uix multi dabunt.

toris, eiusque Bohemiae regis, fidem obstringere eogerentur, cum D. Balth. Hillero,*** adiuncto fisci aduocato, a munere abstinere in posterum iussus fuit.****

Hunc

*** Natus fuit Strigae in Sil. 6. Ian. M.D.LXXII. patre, Iohanne, aciculario, uic Nasonis Phönix, der Züßf. Schweidn. und Zauer, p. 148. et Cunnradi Sil. tog. p. 128. ita scribentis: Balth. Hillerus de Friberga V. I. D. P. L. S. C. Mts et elect. Saxon. consil. ut et fisci caesarei per utramque Lusatiam patronus. Quibus uerbis ductus, facile quis cum posset ipsum fisci patronum putare, quod et a quibusdam fieri uideo, I.) quia in carmine, Consilii Treutleri praefixo, causarum fiscalium aduocatum ordin. se subscripserit. Sed D. Zeetfchius in literis ad consiliarium Saxonicum D. Tünzelium d. 10. Febr. 1638. datis, rem sic conficit, Hillerum post Alhardum Schoenfeld, ad cancellarii honores euectum, Bornitio fuisse datum adiunctum. Sed. 2.) obiici posset, Hillerum in transactione quadam, Siegfriedi ab Hoymb, dynastae Ruhlandi et Guteborn 1627. d. 27. Ian. cum uidua Ioh. Frid. a Brettin facta, caesareum et Saxon. fisci procuratorem se nominasse. Potest autem facile responderi, eum, munere amisso, titulum, pro more alias consueto, solum retinuisse. Adeoque sine sufficienti ratione numero fisci procuratorum a quibusdam inseritur.

**** Causam eius rei D. Beni. Leuberus im Bericht an Churf. Durchl. von dem, zwischen Land und Städten des Marggr. Oberl. über dem Braun- Urbar entstanden, Litigio §. 25. et 26. affert sequentibus uerbis. §. 25. Hr. D. Jac. Bornitius, Kaiserl. Rath und Cammer- Procurator in Oberl. Commissarius und Actuarius in der Kaiserl. Bier- Urbar- Commission, ließ sich belieben auf Zureden des von Pfalzgr. Friedrichen, als erwählten Könige zu Böhmen und Marggr. in Oberl. zum Landvoigt in Oberl. geordneten Graf Joachim Andr. Schlicken, die Kaiserl. Cammer- Procuratur und Bestallung bey Seiner zu setzen, den Pfalzgr. Friedrichen vor eiznen rechtmäßigen König in Böhmen und regierenden Landes- Fürsten in Oberl. zu erkennen, und nahm von demselben zur Cammer- Procuratur in Oberl. schriftliche Bestallung an. §. 26. Als aber der Churfürst zu Sachsen das Marggr. Oberl. als Kaisers Ferdinandi II. vollmächtiger Commissarius, wieder eroberte, würde er, D. Bornitius mit Arreste bezleget, und mußte er vor einen gnädighen Pardon erkennen, daß er seiner Kaiserl. Bestallung entsetzet, nicht allein alle seine Kaiserl. Bestallungen und Instruktionen, sondern auch dieneige, so er vom Pfalzgr. empfangen. zur Churfürstl. Sächs. Canzley originaliter einliefern mußte, und in übrigen in Oberl. und Schlessien priuatum zu leben, in Erföhung seines hohen Alters, geduldet wurde. Post hanc reuocationem ab officio

Hunc excipit

III.) M. BALTHASAR PVSCHBECK * qui die xi. Febr. M.D.CXXVIII. tabulas uocationis accepit, cum eius rei causa per nouem hebdomades Pragae moratus esset, die uero ei. mens. XXVI. iusiurandum praesente Capitaneo, Adolpho a Gersdorff, praestitit et per decem annos munus administravit.

IV.) D. ELIAS ZEETSCH, dominus clientelae Waditz. Bornam in Misnia patriam habuit, ubi M.DLXXXVIII. d. XVIII. Maio st. uet. fuit editus, patre Casparo, pistore et ciue honesto, matre Christina Schnetter. Fundamentis literarum in patria schola, sub Casp. Haynecio rectore, et Magdeburgi sub Georg. Rollenhagio positus, anno M.DCVI. academiam Argentoratensem cum Casp. Schüllero, ciue, petiit. Inde excurrit in Austriam, Styriam et Carinthiam, filiisque equitum praefuit. An. M.DCXI. cum uho eorum adiit Tubingam, ubi conuictu D. Hafenerferri et D. Lansii usus est. An. M.DCXIV. Argentoratum, eodemque anno

is, quorsum D. Bornitius delatus fuerit, an Budissae remanserit, quando obierit, indagare nondum licuit. Ante XXVI. Febr. M.DCXXXIII. cum mortuum esse, tamen certum est. Doctorem Hilleram uero facta missione, M.DCXXII. d. XIX. Ian. Pragam abiisse ad munus apud principem Lichtensteinium obeundum, sed et Budissam repetisse, ibique 4. Dec. M.D.CXXVIII. act. LV. diem supremum obfisse, chronicon mserum tradit, Cunradus uero l. c. annum M.DCXXVII. scribit. Ceterum, quae hic de Bornitio scripsi, iis suppleri possunt, quae nuper in scripto de Quibusdam Literatis ex tractu electorali Sax. progressis, tanquam incerta posteram. De scriptis eius uid. D. Ioecheri *Geschichten*; Lexicon.

* Eidem secutus aliorum hoc numero eum posui, quem et per B. scribere solent. Nec tamen quicquam amplius de eo reperire potui, cuius rei causa in turbulenta tempora transferenda uidentur. Interim, cum a D. Bornitio, usque ad Puschbeckium, intercedat integrum septennium, mirum uidetur, spartam hanc tamdiu uacua mansisse. D. Hillerum inferre possemus, nisi Zeetschii, ab his temporibus proximi, auctoritas obfaret. Sed unum illud chron. manuscr. ad annum M.DCXXII. nominat D. VICTORINVM SCHOENFELD, qui hoc munus gesserit, cui tristem aliquem casum domesticum accidisse refert, quem eius uerbis recensebo: den 30. huius (nehmlich) Ian. 1622. ist Victorino Schoenfeld, Cammerz Procurator, ein Kind von anderthalb Jahren an einem Stückgen Fleisch ersticket. De cetero altum et de hoc ubique est silentium.

anno Carinthiam repetiit, et Italiam salutauit.* Ex Italia Viennam concessit, ibique cum per tempus moratus esset, M.DCXXVII. patriam inuisit, ex qua tamen Lipsiam, Coloniam, et Argentoratum iterum accessit, tandemque Dresdam uenit. An. M.DCCXXIV. senatus Budissini syndicus factus, anno sequente Doctoris gradum Argentorati acquisiuit.** An. M.DCCXXVIII. cum elector Sax. Budissam in fidem suam acciperet, eum causis cameralibus nostri marchionatus praefecit. Quo facto eodem anno syndici prouinciae renunciauit. Duxerat an. M.DCCXXVII. die XXIX. Nou. Dorotheam, Caspar. Hübschii, consulis filiam, quam, proxime ante mortem suam amisam, ipse secutus est M.DCCXLVII. d. XXVII. Nou. anno actatis LIX.***

B

V.)

* Vide sis haec uberius commemorata, et alia singularia, notatu non indigna, quibus hic recensendis supersedeo, in conc. funebr. D. Zeetschii, Bud. 1648. in 4^{to}.

** An. 1625. d. 16. Iul. annales mscti dicunt, illum abüße Argentoratum et die 1. Oct. rediße, et subiciunt 1.) daß E. HochEdl. Magistrat damals, statt einer Gratulation, ihn mit Gelde beschenket 2.) daß er ihm das Haus bey den Rüsselbäncken, das Hans Rosenhanns gewesen, zu eigener Wohnung zubereiten lassen 3.) daß Herr D. Zeetsch den 23. Nou. sein conuiuium doctorale gegeben, worauf der ganze Nacht und der Städte Gefandten gewesen.

*** Vid. conc. funebris cit. et addantur Epitaphia Budiss. lat. pag. 36. seqq. Duo tamen adhuc mihi notatu digna uidentur.

- 1.) Quod D. Zeetschius libellum germanicum, de Arte bene moriendi msectum reliquerit, ad imitationem libelli cuiusdam Italici, in itinere uisi, confectum, qui apud affinem, quaestorem reddituum electoralium praefecturae Kleeberg in Mießla, incendio ibi grassante, in ruderibus adustus quidem, sed qua literas intactas fuerit repertus, cum alii libri plane combusti fuerint.
- 2.) Quod Bornensibus suis, ad literas incumbentibus, beneficium annum dedicauerit. Vid. M. Io. Winckleri Oratio de Bornae situ etc. Altenburgi 1670. in 4^{to} pag. 70.

V.) **GODOFREDVS FINCKELTHAVS.** Natales debuit Lipsiae, ubi M.DCXIV. d. XXIII. Febr. st. uet. prolatus in lucem est, nactus patrem D. Sigismundum, consiliarium Saxonicum, senatus sacri praesidem, iuris prof. etc. Post peregrinationes per Belgas, Gallos et Brasiliam aliaque loca extera, in patria ascitus est in senatus collegium, et usque ad praeturam ascendit. Duxit Annam Elisabet. Zehrenbach, quae uero consortio istius tantum xxvii. menses totidemque dies usa est. An. M.DCXLVII. d. XIII. Decembri muneri admotus est Budissae, cui tamen per septem modo menses praefuit, morteque d. iv. Aug. M.DCXLVIII. oppressus, uicissim ei ualedixit, annis xxxiv. et quod excurrit, superatis. *

VI.) **D. BENIAMIN LEVBERS,** electoris Saxon. consiliarius. Greusena, Thuringiae oppidum, M.DCI. eum luci primum exposuit.* Laudem ut theologi, iuris consulti: iuxta, atque historici meruit sic Lipsia eum perpoliuit, Altorfium uero honoribus in iure summis ornavit. Cum duabus uxoribus, altera Magdalena, nata Hoffmannia, altera, Anna Catharina Beltzaria, uidua D. Ioh. Barthol. Reuffneri, senatus sacri elector. Saxon. consilarii, duplici in coniugio uixit.** An. M.DCXLVIII. d. vi. Septemb. munus suum hic adiit, Dresda huc delatus, idque per xxvii. annos cum plausu bonorum et prouinciae fructu multipli-

* Deprompta sunt haec ex M. Ioh. Cph. Wagneri Epitaph. Budiss. latinis p. 40.

* Sic habent M. Wagneri Epitaph. latin. Budiss. p. 72. cum h. Grosse-
rus eum uocet Dresdensem in *den Lausitzischen Merckwürdigkeiten*, ac
in *dem allgemeinem Gelehrten*: Lexico patria eius silentio praetereatur.

** Vid. Wagneri *Grab- und Gedächtnißmahle* de priore n. 76. p. 39,
de posteriore n. 78. p. 41.

ci, ex doctrina eius redundante, defendit, annosque LXXIV. emensus M.DCLXXV. ultimus stirpis suae exspiravit. Nominis tamen famam multis scriptis retinuit. ***

VII. D. THEODOSIUS LEHMANN, Annabergae in montano Misniae tractu editus * circa annum M.DCXL. Patrem habuit Christianum Scheibenbergae pastorem, matrem Euphrosynam, Georgii Kreuzel, praetoris opp. Elterlein, filiam. An. M.DCLXXVI. d. xv. Februario st. n. uices suas suscepit, nec tamen longum tempus gessit. Cum enim CHRISTIANI, ducis Saxo-Martisburgensis, cancellarii filiam in matrimonio haberet: factus illic principis consiliarius, hoc munere suo M.DCLXXIX. se abdicavit. **

VIII.)

B 2

*** Scripta huius viri partim sunt edita typis, partim adhuc manuscripta et inedita. Ipsa etiam edita, quia maximam partem propriis sumptibus auctor imprimi curavit, instar codicum manuscriptorum rara sunt. Nullibi, ut iudicat auctor Catalogi bibliothecae Rinckianae, completum eorum censum reperire licet, p. 461. num. 3721. Passim igitur colligenda sunt, quod auctor iste fecit. Confer etiam clar. Ioecheri Gelehrten-Lexicon.

* Ob tempora enim bellica mater, ut ab hostibus tuta esset, Annabergam se recipere cogebatur, ibique cum enixa est. Vid. M. Chr. Gotthold Wilfischii Kirchen-Historie der Stadt Freyberg II. Theil p. 46. ubi ita de natiuitate eius loquitur. Seine arme Mutter hat Theodosium zu Annaberg in einem Braun-Böttige geboren, und die sechs Wochen in einer hohlen Eiche im Walde gehalten. Nec hunc uero, nec reliquos filios, studiis dicare constituerat pater, sed, ut Wilfischius habet: der älteste Theodosius, weil er etwas stark war, sollte ein Schmied, der mittelste Christianus, weil er die Feder wohl führte, ein teutscher Schreiber, und der dritte Immanuel, weil er gar schwach, ein Schneider, werden. Precibus tamen matris pater ad alia consilia se transtulit.

** Martisburgi tandem senatus sacri praeses factus est, et M.DCCXVI. d. XXVII. Aug. decessit. Christianus antistes sacrorum Freiburgensis, et Immanuel Archidiaconus Gorlic, reddebatur, v. Wilfisch. l. c.

VIII.) IOH. IACOB HARTRANFFT de FELSHART haereditarius in Purfchwitz et Litten, com. palat. caes., reg. mai. Polon. et electorum Sax. et Brandenb. consiliarius, canonicus Lubecensis ac Wurzensis. Vsuram huius lucis cepit an. M.DXXXI. d. 11. Mart. Leorini in Sillesia. Pater fuit Zacharias, primo Leorini, post Capituli Budiss. ac coenobii Mariae stellae syndicus, * mater, Anna Iacoba, nata Roth a Baumgart.** Aetate adultus causas in summa prouinciae curia Budissae fortiter egit, ut, D. Joh. Ernesto Schoenleben, Ordinum Lusatae Super. syndico M.DCLXIV. d. 1. Nou. e uiuis sublato, succederet, anno autem M.DCLXXIX. D. Thedosio Lehmanno, camerae procuratori, cuius anni die xxx. Iun. st. n. ad munus introductus fuit, idque ad annum M.DCXCVIII. d. 1x. August. omni cum fide in principem administrauit, d. uero xxii. mensis eiusdem naturae debitum soluit, unica filia, nomine Charlotta Louysa, relicta.*** Nominis famam ut causis agendis uiuus acquisiuit, sic eam mortuus reliquit.****

IX.)

* Idque post 1636. uid. epitaphia seu Budissinische Grabmahle M. Wagneri p. 39. n. 75. Primus fuit, qui insignia equestris an. 1640. genti suae intulit, donatus iis ab imperatore Ferdinando III. Finit uitam ante an. 1664.

** Vid. Wagneri Grabmahle p. 40. n. 77. Nata fuit Pragae 1605. d. 7. Iun. denata 1676. d. 6. Iun.

*** Sic habet monumentum, quod in templo habetur in uico Purfchwitz, unum lapidem Budissina distante.

**** Vid. Groseri Kaufische Merckwürdigkeiten et D. Ioecheri allgemeines Gelehrten-Lexicon.

IX.) AMANDVS GOTTLIEB STVBKITZ, Budissam patriam habuit. Natus fuit M.DCLIX. d. xx. Nou. et patre quidem Martino, syndico Capituli Budiss., matre uero Elisabetha Bundschoen, Cottbusiensi.* Ipse connubium iniit cum Maria Dorothea, uida Entzenfelder, nata Uschner.** Initio ad causas, in utraque Lusatiæ superioris curia summa defendendas, frenue incubuit, postea, patre M.DCLXXIV. mortuo, uices eius delatas accepit.*** Anno autem M.DCXCIII. die ix. Aug. Ioh. Iacob Hartranffio a Felshart, ob corporis infirmitatem, adiunctus fuit, eique, cum statim naturæ debitum soluisset, d. XXII. Augusto successor illico datus fuit, munusque summo cum studio defendit ad finem usque uitæ, qui d. I. Ian. **** M.DCCVIII. ei obigit. Tumulus ipsius in coemeterio, a sylua Taucher cognominato, habetur.

B 3

X.)

* Vid. conc. funebris Martino Stubritzio habita in fol. an. 1686. Andreas Bundschoen, pater Elisabethæ, archidiaconus fuit ac senior ministerii ecclesiastici Cottbusiensis.

** Duo hæc nomina posui, quia utraque gens in uic'na Hoyerswerda quondam uixit, licet sciam, alia nomina in cippo dormitorii suburbanum, Taucher dicti, obuia esse. Sculptor enim, cum in alio egrègie fefellerit, uid. nota **** etiam in his nominibus lapsus esse uidetur.

*** Ita expressis uerbis extat, in citatæ concionis dedicatione.

**** In dicto epitaphio dies i. mensis Iun. expressis literis legitur, annales uero plerique habent i. Ian., ut ita statuarius, non uero annales, errore ducantur propterea, quod diptypha Budissinensia sub initium huius anni, i. Ian. diem emortualem nominant, 4. uero diem uocant, quo humatus fuit.

X.) **AVGVSTVS MAGNVS PRINTZ**, haereditarius clientelaram Hachnchen et Neraditz. Budifsam ueneratus est patriam, in qua an. M.DCLXVIII. die III. Augusto editus est, patre usus Iohanne Alberto, senatore et in curia Lusatae superioris summa causarum patrono, matre, Anna Dorothea Breunig. Studiis in gymnasio patrio et academia Ienensi feliciter absolutis, rebus forensibus in Lusatae superioris curia sedulo interfuit. Anno autem M.DCCVIII. XXIII. Febr. fisci regio-electoralis prouinciam suscepit et istam ad annum usque M.DCCXXXVIII. produxit, quo, die XXII. Iulio, e uita est profectus, die autem XXV. eiusdem, de uoluntate ipsius, cum tubis tympanisque, facibus praelatis, aedibus sepulchralibus, in coemeterio suburbano exstructis, solenni modo est illatus, idque hora IX. uespertina. Duplici connubio iunctus fuit 1.) cum Lucretia Sophia Venus, Wolfgangi Friderici Venus, chirurgi Budisfinensis filia. 2.) cum Maria Elisabeta, uidua Ieremiae Behrnaueri, nata Mirus. Ex sua, quam praemisit, uxore prima, Augustum Magnum, et Fridericum Albertum, filios, et Lucretiam Sophiam, filiam, quae Ioh. Gottlob Pannachio I. V. Doctori nupsit, reliquerat.

XI.) **AVGVSTVS MAGNVS PRINTZ**, haereditarius in Hachnchen et Neraditz. Et hic Budifsam nostram natale habuit solum, patrem *διδόνμον*, modo nominatum, matrem uero Lucretiam Sophiam, Venus. Quibus parentibus M.DCCXCV. d. III. Febr. fuit procreatus. Ipse in matrimonio habuit Christ. Magdal. Donat, uiduam Nitsch. Exhaustis in patria humanitatis studiis, cum iuri discundo Lipsiae bono cum successu incubuisset, redux factus, clientum bono in Lusatae nostrae dicasteriis, Budissino inprimis, causas studiose defendit. Patris in fisci causis socius anno M.DCCXXX. factus est, eidemque an.

an. M.Dcccxxxviii. d. xxii. Jul. mortuo, succedens, famam paternam propagavit. Morbo denique, licet non annis confectus, d. x. Nouembr. M.Dcclv. expiravit, annos natus lx, menses nouem.

Felici omine, VIR PRAENOBILISSIME, tantorum uirorum, meritorum fama illustrium, successor redditus, uestigia leges. Nisi uirtutis praestantia, quae TIBI inest, ex documentis cognita esset, certe POTENTISSIMI REGIS POL. et CLEMENTISSIMI ELECTORIS SAX. nostri Patris patriae OPTIMI auctoritas, sapientissimorumque consilii eius administratorum prudentissimum arbitrium, satis et abunde probant, hoc munere TE esse dignissimum. Literis elegantioribus in gymnasio nostro inde a teneris annis, ducibus illius magistris, sedulo incubuisti. Tum uero iuris praecepta, cuiuscunque sint generis, a doctoribus academiae Lipsiensis praeclarissimis audissime imbibisti. Publicis quoque speciminibus, aetatem ferentibus, dexteritatem TVAM probatam dedisti, adeoque, TE oneri ferendo aptum esse, demonstrasti. Quid mirum itaque, ex eo iam tempore, quo patriam rursus salutasti, doctrinam TVAM, nunc in foro curiae summae, nunc in uectigalium accisorum Principis cura atque inspectione, multis modis huc dum redundasse. Cumque gratia SVMMI ILLIUS temporum nostrorum TITI non minus, quam TVA, ab IPSO approbata, doctrina faciant, fisci Regio-Electoralis procuratoris per Lusatiam superiorem munus in humeros TVOS deuolui: ego quidem, laetitia accensus, non possum non, publica hac scriptione, ex animo TIBI de eo gratulari. Summum DEI NVMEN largiatur, ut spartae huic nouae non interruptis animi et corporis uiribus, cum optima ualitudine coniunctis, quam felicissime praesis. Si, quam a beato, cuius

ius cineres sic non paruo honore conspergis, parente, ac matre adhuc
 uiuente, deque dignitate hac Tva in sinu gaudente, pariter, atque
 a praeceptoribus hausisti, cum pietate in DEVM honores hos geres:
 quis est, qui non speret, eos, et in SVMMI NVMINIS gloriam, in
 cunctis negotiis quaerendam, et ad BENIGNISSIMI PATRIS PATRIAE
 gratiosam uoluntatem, et in marchionatus nostri emolumenta multiplicia,
 TE esse administraturum. Quia uero inter mortales famae etiam
 studere homini christiano licet: nec minus nomen TVVM, recte
 agendo omnia, apud posteros, qui adhuc sunt futuri, im-
 mortalitati quam certissime commendabis,

Vale.



Handwritten scribble

1093

VD 18

Handwritten mark

huc
que
res:
in
AE
cia,
am
cte

ULB Halle

3

007 417 187





Inches
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13

B.I.G.



RO
ET EXCELLENTISSIMO
MINO
LVDOVICO
VT

ET ELECT. SAXON.
CISORVM IN VRBE
SSINA

C DVM
VIGILANTISSIMO
SVPER. CVRIAE ADV. ORD.
PRINCIPIS VOLVNTATE

CVM
CT. PROCVRATOR
M LVSTATIAE SVPERIORIS

TVTVS SIT
E HOC MVNVS
. AN. clb l3 cc LV.
ADEAT
EX ANIMO GRATVLATVR

E PROCVRATORVM
TEMPORA PERCENSENS

Abraham Weise
Bud. Subr.

CHRISTIANI SCHOETZII.



2.769